Library Medical L

ANALECTA ET EXPERIMENTA DE FOLIORUM UVAE URSI EFFECTU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. OCTOBRIS A. MDCCCLVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS HUBERTUS ROELEN

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

AD. GUSSEROW, MED. ET CHIR. STUD.

JUL. DIETZER, MED. ET CHIR. DR.

HENR. DROSSONG, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

NEC NON

VIRO

EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO

FR. W. BOECKER

MED. ET CHIR. DR. PRIVATIM DOCENTI IN UNIVERS. FRIDER. GUIL. RHEN. MEDICO FORENSI SOCIET. LITTER. COMPLUR. SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO

SUMMEQUE COLENDO

HASCE PAGELLAS

ANIMO GRATISSIMO

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum, quoniam et antiquo more et lege academica pactum est, ut, qui doctoris gradum assequi velit, dissertationem aliquam conscribat, mihi quoque hanc scribendi necessitatem impositam esse viderem, primum incertus ac valde dubius haerebam, unde materiem peterem aptissimam nec vires meas adhuc tenuissimas excedentem. Libenter igitur praeceptoris dilectissimi Exp. Boecker secutus sum consilium, de effectu foliorum uvae ursi experimenta quaedam instituendi atque de iis pauca disserendi. Quum aliud nullum haberem objectum idoneum, me ipsum experimentis submisi, per decem dies mensuratam quandam aquae copiam et per alios decem dies

eandem copiam infusi aut decocti foliorum uvae ursi atque semper eodem tempore ingerens, ita ut praeterea, quantum fieri potuit, nullam a solito vitae ordine aberrationem admitterem.

Non possum, quin hoc loco viro Exp. Boecker, qui in analysi chemica haud parum me adjuvit summaque liberalitate libros, quibus opus erat, mihi commisit, gratias quam maximas agam.

DESCRIPTIO BOTANICA.

Arbutus uva ursi (Linn.), Arctostaphylos uva ursi (Sprengel) — Ericineae —, invenitur in Europae, Asiae, Americae siccis petrosisque collibus, calicem habet, quod ad formam pertinet, quinquefidum, obtusum. Flos est albus, ore quinquedentato, reflexo, obtuso, incarnato. Filamenta inclusa, quorum decem esse solent, basi aliquantum dilatata, pilosa, ciliata. Antheras gestant compressas, bicornes, quae in apice duos poros habent. Ovarium globosum, impressum est. Stylus brevis, Stigma obtusum. Bacca globosa, quinquelocularis, raro sex-, septem-, decemlocularis, loculi monospermi.

Planta procumbens est, folia perennia obovata, integerrima. Inflorescentia terminaliter racemosa, pedunculi cum bracteis parvis, obtusis. Caulis lignosus teres, decumbens est. Folia alternantia, petiolata, convexa, transversim plicata sunt.

DESCRIPTIO PHARMACOLOGICA.

Folia uvae ursi siccata obscure viridia, micantia, amarum, adstringentem excitant saporem, nullum autem odorem. Cum Vaccinio Viti Idaea magna similitudo est. Differt autem foliis longioribus, paullatim dilatatis, dum illius subito ovata fiunt, durioribus, non punctatis. Folia spuria non sunt sapore adstringente. Cum infuso aquoso ex illis foliis parato ferrum chloratum viridem communicat colorem, idem foliorum uvae ursi infuso nigro-coeruleum colorem impertit[1]).

ELEMENTA CHEMICA.

Si Ill. Meifsner[2]) sequimur, folia uvae ursi continent in partibus 163:

Acidi gallacei . . . . . partes 1,2

[1]) Cfr. Braconnot: Bull. de pharm. III. 348 et Bouillon-Lagrange: Ann. de chim. LV. 46.

[2]) Cfr. Gmelin, Handbuch der Chemie. II. p. 1294.

Acidi tannici cum pauxillo acidi gallacei admixto	partes	36,4
Resinae	»	4,4
Materiae extractivae oxydatae cum pauxillo calcariae citricae . . .	»	0,8
Gummi cum calcaria hypermalica et Natro, quibus admixta est minima copia acidi tannici Natriique chlorati	»	3,3
Chlorophylli	»	6,3
Cellulosae	»	9,6
Aquae	»	6,0
Kali caustici ope extractae sunt:		
Gummi	partes	15,7
Materiae extractivae	»	17,6
Restant igitur	»	1,3

EXPERIMENTA.

Priusquam ad experimenta ipsa, quae, ut supra retuli, in me ipso institui, describenda me accingam,

necessarium mihi videtur, ut corporis valetudinem atque regimen, quod, dum experimentis me submisi, secutus sum, paucis explicem. Valetudo, non semper quidem incolumis, per annorum duorum tempus bona erat. Digestio, secretiones normales sunt. — Dum experimenta institui, hic vitae meae ordo erat: Optimo semper somno per octo horas fructus sexta hora surrexi et sub horam octavam et dimidiam jentaculum, et quidem quotidie eandem qualitatem ciborum et quantitatem, assumsi, quo assumto statim semper analysin feci chemicam urinae et matutinae et vespertinae. Hanc in Exp. Boecker laboratorio suscepi, me ducentis nec mediocriter adjuvantis. Ab hora nona usque ad primam pomeridianam in clinicis versatus, tum coenam, quae, quoad fieri potuit, semper eadem erat, assumpsi eodemque tempore aquae uncias octo bibi. Tum usque ad horam septimam partim in scholis academicis partim domi occupatus, dictam circa horam tria sumpsi ova semicocta, cui cibo vespertino frugali nihil nisi aquae purae uncias octo adjunxi. Deinde visitatis aegrotis policlinica adeuntibus, hora octava et dimidia primis decem diebus iterum aquae uncias octo bibi, cujus

loco postremis decem diebus partim infusi partim decocti foliorum uvae ursi mensuram eandem hausi, ita quidem, ut bis infusi, ter decocti uncias octo ex uncia dimidia parati, tum ter infusi, bis decocti uncias octo ex uncia una parati quotidie biberem. Quo facto, usque ad horam nonam ambulavi et postea in studia incubui usque ad horam decimam, qua hora somno me tradidi. — Experimenta ita institui, ut totum quodque experimentum, horas XXIV complectens, in duo diviserim dimidia, quorum alterum ab hora octava et dimidia vespertina usque ad eandem horam matutinam, alterum ab hac hora usque ad eandem vespertinam durabat. Cujusque dimidii urinae analysin feci chemicam, nihil autem investigans, nisi Natrii chlorati Ureaeque copiam. Urinam collegi mensuravique horis matutinis 6, 8½ et pomeridianis 1, 5, 8½, 10. — Neque temperaturae differentias, quae certe in urinae secretione magni sunt momenti, neglexi, sed quotidie hora quinta post meridiem in Celsii thermometro percontatus sum atque adnotavi.

Quae laboribus meis erui, adjectis tabulis exposui. Numeri significant CC. et Gramm., illi urinae, hi Natrii chlorati Ureaeque mensuram.

Dum aquam

Ordinis No.	Datum.	Temperatura.	Collecta sunt								
			A.			Summa A.	B.			Summa B.	Summa Summarum.
			Vespere.	Mane.			Post meridiem.				
		Cels.	h. 10.	h. 6.	h. 8½.		h. 1.	h. 5.	h. 8½.		
	Julii.										
1.	16 & 17	28¾°	93	385	37	515	175	276	155	606	1121
2.	17 » 18	30	99	193	48	340	150	253	115	518	858
3.	18 » 19	22½	59	185	44	288	141	284	95	520	808
4.	19 » 20	20½	73	276	44	393	153	280	219	652	1045
5.	20 » 21	22	135	675	37	847	176	386	76	638	1485
6.	21 » 22	22½	180	724	44	948	147	280	103	530	1478
7.	22 » 23	25	67	231	32	330	275	381	154	810	1140
8.	23 » 24	26¼	98	545	42	685	201	281	246	728	1413
9.	24 » 25	28¾	120	373	25	518	152	251	111	514	1032
0.	25 » 26	26¼	50	255	20	325	172	180	271	623	948
						5189				6139	11328

ıram potavi.

In A.				In B.				Summa Natrii chlorati.	Summa Ureae.
Natrii chlorati.		Ureae.		Natrii chlorati.		Ureae.			
e.	in toto.	pr. mille.	in toto.	pr. mille.	in toto.	pr. mille.	in toto.		
9	3,0	32,8	16,8	8,5	5,1	33,4	20,2	8,1	37,0
4	2,1	40,2	13,6	10,8	5,5	34,5	17,8	7,6	31,4
3	1,9	43,3	12,4	11,8	6,1	35,2	18,3	8,0	30,7
9	3,5	37,0	14,5	9,4	6,1	24,5	15,9	9,6	30,4
2	2,7	13,3	11,2	8,8	5,6	34,2	21,8	8,3	33,0
5	4,3	20,9	19,8	9,1	4,8	34,4	18,2	9,1	38,0
2	1,3	40,8	13,4	4,4	3,5	31,6	25,5	4,8	37,9
9	5,4	32,6	22,3	10,2	7,4	29,6	21,5	12,8	43,8
2	3,2	29,8	14,4	8,2	4,2	45,7	23,4	4,3	37,8
1	2,4	41,7	13,5	9,6	4,1	30,4	18,9	6,5	32,4
	29,8		151,9		52,4		200,5	79,1	352,4

Dum inf. aut dec. aquosum

Ordinis No.	Datum.	Temperatura.	Collecta sunt								
			A.			Summa A.	B.			Summa B.	Summa Summarum.
			Vespere.	Mane.			Post meridiem.				
		Cels.	h. 10.	h. 6.	h. 8½.		h. 1.	h. 5.	h. 8½.		
	Julii.										
1.	26 & 27	28¾°	38	200	32	270	146	345	104	595	865
2.	27 » 28	23	73	271	47	391	172	301	101	574	965
3.	28 » 29	27	60	766	47	873	179	320	116	615	1488
4.	29 » 30	23	53	378	33	464	179	279	240	698	1162
5.	30 » 31	27½	176	782	45	1003	209	271	136	616	1619
6.	31 August. 1	31¼	57	353	46	456	204	334	79	617	1073
7.	1 & 2	28¾	84	206	35	325	185	243	134	571	896
8.	2 » 3	22½	47	534	35	616	177	207	150	534	1150
9.	3 » 4	22½	109	446	44	599	279	298	204	781	1380
10.	4 » 5	25	67	388	45	500	181	230	107	518	1018
						5497				6124	11616

[1]) Potavi infusi uncias octo ex uncia dimidia parati.

[2]) Potavi decocti uncias octo ex uncia dimidia parati.

liorum uvae ursi potavi.

In A.				In B.				Summa Natrii chlorati.	Summa Ureae.
Natrii chlorati.		Ureae.		Natrii chlorati.		Ureae.			
:. le.	in toto.	pr. mille.	in toto.	pr. mille.	in toto.	pr. mille.	in toto.		
,4	1,4	48,0	12,9	10,2	6,0	32,0	19,0	7,4	31,9[1])
,8	3,4	35,2	13,7	7,0	4,0	38,1.	21,8	7,4	35,5[1])
,8	5,0	26,0	22,6	9,4	5,7	33,0	20,2	10,7	42,8[2])
,1	3,2	36,4	16,8	6,3	4,3	25,2	17,5	7,5	34,3[2])
,0	5,0	23,6	23,6	9,1	5,5	36,3	21,3	10,5	44,9[2])
0	5,0	35,5	16,1	8,8	5,4	36,4	22,4	10,4	38,5[3])
2	2,6	40,8	14,2	7,5	4,1	37,0	21,0	6,7	35,2[3])
4	2,0	30,4	18,7	8,6	4,5	34,4	18,3	6,5	37,0[3])
1	3,6	29,5	17,7	9,0	7,0	29,4	22,9	10,6	40,6[4])
0	4,5	32,6	16,3	8,4	4,3	34,4	17,7	8,8	34,0[4])
	35,7		172,6		46,8		202,1	86,5	374,7

[1]) Potavi infusi uncias octo ex uncia una parati.

[2]) Potavi decocti uncias octo ex uncia una parati.

Contemplantes harum tabularum summas atque comparantes, fere nihil inter eas, quarum quidem aliae aliis respondent, interesse videmus. Quamobrem sine ullo dubio atque maximo jure affirmari posse putamus, nullum aut minimum quidem in nobis effectum fuisse foliorum uvae ursi. Nam etiamsi Natrii chlorati Ureaeque copia secundi experimentorum ordinis paullo est major, hoc minime respiciendum mihi videtur, quia inter multos singulorum experimentorum numeros magnopere differt, atque imprimis quia, quum dimidiam foliorum uvae ursi unciam consumsissem, et Natrii chlorati et Ureae majorem copiam in urina inveni, quam eo tempore, quo totam unciam consumpsi. Quare hanc parvam differentiam me neglexisse, neminem mihi exprobraturum esse confido.

Temperatura aliis diebus alia fere nihil valere potuit, quia, si totum respicimus, utriusque experimentorum ordinis eadem nominari potest.

Quum autem notum sit, folia uvae ursi et praeteritis et praesentibus temporibus a multis et magnis viris pro remedio diuretico adhibita esse, multum abest, ut tiro equidem ea, quae illi acriter observantes

animadverterunt atque docuerunt, rejiciam, quia experimenta mea cum iis non consentiant. Atque graviter illi errare mihi videntur, qui usque ad nostra tempora dubitandi studio tanto abripiuntur, ut nihil eorum, quae majores nostri periti comprobarunt, credant verum, neque bene iis uti se posse putent, nisi antea omnia chemicis et physiologicis experimentis retractaverint et, ut opinantur, explicaverint. Attamen ambiguos habere atque acrius observare effectus alicujus materiae licere puto, quum, quae experimentis invenimus, cum iis, quae usque ad hoc tempus credebantur atque docebantur, non congruant. Quare et mihi addubitare vim diureticam foliorum uvae ursi licere existimo.

At si quis parvam differentiam non negligendam putet, tamen folia uvae ursi, quod quidem experimentis meis inveni, remedium diureticum nominare non possumus, quia nullas, nisi eas materias diureticas judicamus et propter hanc vim adhibemus, quae et urinae et ejus Natrii chlorati Ureaeque copiam magis augeant.

Quamquam meum non est, de diureticis scribere, tamen non possum, quin hoc loco adjungam, multa

jam remedia in enchiridiis materiae medicae diureticorum locum obtinere, quorum vis admodum dubitanda est, atque quae, si effectum diureticum observari putamus, saepissime magis aquae copia, in qua soluta sunt, quam vi propria, efficacia esse videntur. Quare etiam, ab aliis alios ejusdem materiae effectus et quidem maxime diversos observatos esse, mirari non oportet.

Quod, ut ad folia uvae ursi revertam, de eorum effectu cognovi, nihil nisi status gastricus erat, qui inprimis tum gravior apparebat, quum totam unciam sumseram, quem statum saepissime inductum esse, si magna eorum copia consumeretur, ab Ill. Mitscherlich[1]) commemoratum invenio.

Quum igitur certi quidquam non invenerim, tamen neminem me accusaturum existimo, vanos quosdam atque supervacuos labores me suscepisse. Si eum experimenta habitura sunt effectum, ut alii, qui majori pollent experientia, eadem probare atque fortasse, quae me invenisse puto, certiora reddere velint, multum me lucratum esse fatebor.

[1]) Cfr. ejus: Arzneimittellehre. Berlin 1840. Tom. I. p. 225.

Jam restat, ut de historia atque de usu foliorum uvae ursi nonnulla apponam.

HISTORIA.

Dubitandum est, num Arbutus uvae ursi Graecis Romanisque jam nota fuerit. Ill. Bauhinus aliique ἰδαία ῥίζα Dioscoridis[1]) esse putant, sed ejus folia minimam habent similitudinem cum iis Rusci aculeati (ὀξυμυρσίνη), quibuscum ille Pliniusque[2]) eum comparant. Ἄρκτου σταφυλὴ Galeni majori jure eandem plantam, quam Arbutum uvae ursi vocamus, esse existimarim, nisi descriptio brevior etiam Ribes rubrum significare possit.

Quod nobis notum est, in nostra patria Ill. de Haen[3]) a. 1756, tum Ill. Gerhard[4]) a. 1763 et

---

[1]) Cfr. Lib. IV. cap. 44.

[2]) Cfr. ejus: Hist. nat. lib. XXVII. cap. 69. ed. Valj.

[3]) Cfr. Rat. med. Tom. 2. p. 160.

[4]) Cfr. ejus: „Die Bärentraube, chymisch-medicinisch betrachtet. Berlin 1763.

eodem anno in Hispania Ill. Quer[1]) primi de foliis uvae ursi scripserunt. Tum a. 1764 Ill. Murray experimenta sua in „Commentatio de Arbuto uva ursi“ (Gotting. 1764) evulgavit et eodem anno Ill. Girardi „De Uva ursina ejusque et aquae calcis vi lithontriptica novae animadversiones, experimenta, observationes“ (Patavii 1764 scripsit, „neutro“, ut Ill. Murray ipsius verba reddam, „alterius operis gnaro“. Liceat, ut, quae ad historiam pertinent, plura ab Ill. Murray de hac re dicta afferam:

„Tempus locusque, quo primum haec stirps in calculosis affectionibus adhibita fuerit, expiscari vix datur. Cl. Quer, qui gloriam inventionis patriae suae Hispaniae adjudicatam cupit, a. 1734 Neapoli se jam praecepisse illam aliosque ibidem triginta annos antea refert. A. 1743 constitit (Linn. Progr. ad orat. de telluris habitab. incremento in Amoen. acad. Vol. 2. p. 407), plures ante annos Montispeliensibus medicis

[1]) Cf. ejus: Dissertation sobre la passion nephritica, y su verdadero specifico la Uva-ursi ò Gayubas. Madrid 1763. Et hujus libri versionem gallicam (Strasburg 1768) et germanicam: Physik. u. botan. Abhandlung von den Nierensteinen und der Bärentraube (Nürnberg 1771).

in pretio fuisse. Maximam vero in se inde ab a. 1756 attentionem movit, ex quo Ill. de Haen experimenta sua in calculossis capta publici juris faceret.“

USUS.

Ill. Ill. de Haen, Werlhof, Murray, Quer, Girardi et praeter eos magnus clar. virorum numerus folia uvae ursi contra vesicae calculos magnae efficacitatis esse putabant. Quanquam jam antea, ut supra dictum est, hanc efficacitatem foliis uvae ursi inesse putabant, tamen Ill. Murray primus fuisse mihi videtur, qui eam satis se demonstrasse putavit, quum calculos infuso uvae ursi aquoso injecto decrescere videret atque eandem in vesicae efficacitatem esse opinaretur. Quod autem experimentum eum fefellisse, certum est. Nam id, quod potamus, infusum valde commutatum in urinam transit, quapropter etiam efficacitas alia sit oportet. Praeterea ab illis in omnibus renum, vesicae, apparatus sexualis morbis, inprimis in iis, quorum causa atonia et relaxatio fibrarum muscularium et membranarum mucosarum

est, folia adhibita sunt. Ill. Murray in libro suo „Apparatus medicaminum“. Gottingae 1779. Tom. II. p. 54 dicit: „Verum et in variis Lotii viarum vitiis, in quibus nulla manifesta calculi suspicio, efficaciam suam declaravit. Hujus generis sunt exulcerationes harum partium (de Haen. Rat. med. T. 4. p. 253); item dysuria et stranguria ex praegresso maligno morbo (l. c. T. 4. p. 261), dysuria in sene et in aliis ex haemorrhoidibus enata (Girardi. Obs. l. 3) etc.“

Non meum est, dirimere, num foliis uvae ursi in hos morbos agendi vis insit, nec ne, sed eam non esse, quod attinet calculos, a plerisque, qui postea vixerunt, valde dubitatum esse addo. Neque tamen hi omnem in lithiasi vim foliis illis abjudicabant. Quamquam enim calculos dissolvi negabant, tamen concedebant, renum, vesicae, apparatus sexualis relaxationem hoc remedio tolli et normalem harum partium conditionem restitui posse, ita ut postea parvi calculi facilius expelli possint.

Plerique primis hujus saeculi decenniis putabant atque multi etiam nostris temporibus putant, ea efficacia esse in his morbis:

1. in illo vesicae statu, quo semper urinae sedimentum aut parvi calculi oriuntur, dum ex aegroti habitu vitaeque ratione, urinae organorum atoniam adesse, concludi potest;
2. in hydrope, qui e cachexia atoniaque omnium partium exortus est;
3. in blennorrhoeis urinae viarum atque partium sexualium, quarum causa atonia est;
4. in urinae viarum suppurationibus, non tamen jam inflammatione complicatis, sed in illis, quas, ut in aliis morbis jam nominatis, atonia perdurantes reddit;
5. in haematuria aliisque urinae viarum morbis, quorum omnium atonia causa est, ut in impotentia ex onania aut pollutionibus nimis frequentibus exorta, in stranguria etc.

Ill. Alexander[1]) primus erat, qui exiguam modo vim diureticam infuso aquoso foliorum uvae ursi inesse adnotavit, quem postea tam multi et tam magni viri secuti sunt, ut vim, quamquam experimentis meis minime demonstratam, iis non inesse dicere

---

[1]) Exp. Essays p. 151.

vix audeam. Illam vim foliis uvae ursi inesse putantes pluries ea adhibuerunt atque etiamnum adhibent in illis morbis, in quibus urinam copiosiorem reddere conantur, inprimis in renum vesicaeque affectionibus atque in hydrope. Multi sunt, qui nihil nisi acidum tannicum efficax esse putant. Ill. Pereira se invenisse putat, folia uvae ursi potantis urinae obscuriorem esse colorem[1]), e quo concludi posse existimat, virtutum illius remedii in renum vesicaeque morbis causam eam esse, ut acidum tannicum in urinam transeat. Cui autem Ill. Buchheim opponit, acidum tannicum in urinam transire, minime demonstratum esse.

Inprimis effectui adstringenti confidentes multi eadem folia in vesicae blennorrhoea, inprimis chronica, saluberrima esse putant. Prouth[2]) per longius tempus ea adhibenda, tum autem in blennorrhoea chronica magnae efficacitatis esse putat.

---

[1]) Colorem obscuriorem ego ipse in urina nunquam observavi, quamquam eam, quum jam antea haec Ill. Pereirae observatio mihi ignota non esset, in experimentis meis semper accuratissime intuerer.

[2]) On affect. on the urinary organs pp. 185. 268. 2. ed. 1825.

Ill. Autenrieth[1]) utilitatem eorum contra pulmonum mucosae relaxationem cum muci purisque secretione adnotat.

Num in his multisque aliis affectionibus, contra quas folia uvae ursi adhibita sunt, utilitatem aliquam praebeant nec ne, experimentis meis explorare quidem non licuit, sed, ut jam supra dixi, dubitare aliquantum de vi diuretica permissum esse puto, atque quum non sit vis diuretica, remedium esse non potest earum affectionum, in quibus diureticarum virtutum causa adhibetur.

Quod autem ad vim adstringentem pertinet, hanc, a me ipso degustatam foliis uvae ursi inesse, minime negabo, sed ut remedium adstringens rarissime ea adhibenda existimo, quia alia habemus, quae majori excellunt efficacitate.

---

[1]) Cfr. Tübinger Blätter für Naturwissenschaft und Arzneikunde von Autenrieth und Bohnenberger. II. Bd. 1816.

LITERATURA.

Praeter opera jam supra commemorata cf.

De Haen: Rat. med. 1756. T. 2. p. 160 et sqq. Tom.

Gerhard: Die Bärentraube chymisch-medicinisch betrachtet. Berlin 1763.

Quer: Dissertation sobre la passion nephritica, y su verdadero specifico la Uva ursi ò Gayubas. Madrid 1763.

Hujus operis versiones.

Murray: Commentatio de Arbuto uva ursi. Gotting. 1764, et Apparatus medicaminum. Gotting. 1779. T. II. p. 54.

Girardi: De Uva ursina ejusque et aquae calcis vi lithontriptica novae animadversiones, experimenta, observationes. Patavii 1764.

Alexander: Exp. Essays. p. 151.

Tübinger Blätter für Naturwissenschaft und Arzneikunde von Autenrieth u. Bohnenberger. II. Bd. 1816.

Mitscherlich: Arzneimittellehre. Berlin 1840. T. I. p. 225.

Jam nominanda sunt haec:

Smith Barton in: Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche für pr. Aerzte. XXVI. 2. p. 349. 1817.

Hufeland: »Journal« T. 15. pars 2. p. 73.

Bingham: pract. Bemerkungen über die Krankheiten und Verletzungen der Blase. A. d. Engl. p. 42. 1823.

Richter: Ausführliche Arzneimittellehre. Berlin 1826. p. 477.

Schwartze: Pharmacolog. Tabellen. Leipzig 1838. p. 109.

Pereira; Heilmittellehre, bearbeitet von Rud. Buchheim. Leipzig 1848. p. 397.

Multa alia.

VITA.

Natus sum Franciscus Hubertus Roelen in urbe Montjoie, die XI mensis Aprilis anni MDCCCXXX, patre Jacobo Roelen, matre Clara de gente Cremer, quam dira morte jam multos ante annos mihi ereptam valde lugeo. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus Gymnasium Marcoduranum, directore Dr. Meiring, per septem annos et dimidium, tum Aquisgranense, quod adhuc directore Dr. Schoen, viro clarissimo humanissimoque, floret, per integrum annum frequentavi. Deinde ad almam litterarum universitatem Fridericam Guilelmam Rhenanam me contuli, ut, artem medicam omnibus praeponens, sed patris mei voluntati respondens jurisprudentiae studio operam darem. Ab Ill. Bauerband, t. t. Rectore Magnifico, in civium academicorum numerum receptus sum. Sed jam uno semestri praeterito, hanc scientiam desideriis meis non satisfacere intellexi, atque domum reversus unum per annum litterarum saltuariarum studio operam dedi, quo elapso pulmonum affectione afflictus totum per annum ab omnibus occupationibus me abstinere necesse erat. Tunc autem, semper desiderio

artem medicam tractandi impletus, iterum Bonnam me contuli et ab Ill. Sell, t. t. Rectore Magnifico, civium academicorum numero adscriptus sum. Autumno ejusdem anni Herbipolin petii, ubi ab Ill. Edel, t. t. Rectore Magnifico, civium academicorum numero additus sum. Per quinque semestria hac alma universitate frequentata, paschali tempore hujus anni Bonnam reverti, ubi ab Ill. D[illegible]s, Rectore Magnifico, civium academicorum numero adsc[illegible]tus sum. Mense Augusto hanc Fridericam Guilelmam adii, in qua summos in medicina et chirurgia honores impetrare cupio.

Horum virorum audivi scholas:

Bonnae: Ill. Ill. Albers, Boecker, Budge, Busch, Kilian, Knoodt, Naumann, Schaaffhausen, Treviranus.

Herbipoli: Ill. Ill. Bamberger, Gegenbauer, Koelliker, Linhardt, H. Mueller, Rumpf, Scherer, Scanzoni, Schwarzenbach, Virchow.

Quibus viris omnibus optime de me meritis maximas ago gratias semperque pium gratumque animum servabo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Multa remedia diuretica nominantur, quae non esse videntur.
2. In operatione hydroceles excisio tunicae vaginalis methodus praestantissima.
3. Ligatura partialis funiculi spermatici praeferenda est ligaturae totali.
4. Sustentatio perinaei in partu nunquam negligenda.
5. Non errare videntur, qui credunt, dyscrasiam syphiliticam esse insanabilem.